

208. Graf Wilhelm an seinen Sohn Prinz Wilhelm von Oranien. Dillen-
burg, 24. August 1551.

Concept aus K.-E. 92.

*Betreibung der Execution gegen Hessen am Kaiserhofe durch Absendung der
Secretäre Knüttel und Herbst nach Augsburg. Bitte um Erteilung einer
Instruction.*

Cum nuper Bure et postea Brede de communi nostro negotio Catzenelnbogensi, quod jam in puncto executionis ac immissionis prediorum nobis adjudicatorum versatur, hinc inde deliberatum sit, qua scilicet via ac ratione possessionem directam prediorum ac proventuum inde ab annis 52 perceptorum minori cum sumptu absque mora et periculo commodissime apprehendere possemus, nostreque deliberationes, quam primum domum redieramus, ad nostros advocatos, quorum consilio isto in negotio utimur, fuerint delate, illis operepretium et valde necessarium visum fuit, ut eam ob rem communem nostrum in causa Catzenelnbogensi secretarium magistrum Guilielmum Knutelium Augustam versus mitteremus, qui de singulis negotii nostri circumstantiis et nostris deliberationibus hinc inde apud nos et alios habitis reverendissimum dominum Anthonium episcopum Atrebatensem aliosque amplissimi imperialis senatus proceres exacte coram informare posset, quo nostra petitio pro executione commodiore apud Cesaream majestatem eo melius locum habere nosque viam petite executionis commodiorem et maturiorem inspectrare queamus. Sunt nam quedam executionis vie, a quibus propter pericula et moras, quas in se continent, nobis divertendum et alia via commodissima ingredienda erit, nempe ut sacrosancta Cesarea majestas tamquam summus princeps, qui nec constitutioni et ordinationi judicii camere imperialis nec legibus communibus ligatus est, regia via per suos ad hoc deputatos executores in optima et amplissima forma

executionem clementissime faciat nosque imprimis in predia in specie nobis adjudicata et post in reliqua bona, loca, interesse et fructus ab annis 52 perceptos etc. restituat ac immittat. Quamvis vero propter questiones ac turbationes, que quotidie ab Hassis moliuntur, predictum m. Guilielmum, qui totius nostri negotii statum factique speciem pre ceteris cognitam habet, ablegare mihi non sit admodum integrum, tamen cum magna cause nostre necessitas ita exposcit, eum una cum Gerlaco Herbst, tue humanitatis secretario, (qui eandem ob causam percepturus sit, quo modo pro commodiore executionis via sit instandum, ab Augusta huc pervenit), ad diem ab hinc sextum a Dillenberga Augustam versus mittam daboque ei literas credentie, ut vocant, ad prefatum dominum episcopum Atrebatensem, quo ejus celsitudo ipsum¹⁾ de singulis nostris nostrorumque advocatorum deliberationibus, qua scilicet via commodissime executio fieri queat, benevolos ac faciles aures prebere seque in nostro negotio, quemadmodum hactenus ejus promptitudinem in omnibus et singulis nostris negotiis percepissemus, pro equitate et justitia promotionem exhibere velit. Ut autem ejus celsitudo cognoscat, istam in communi nostri causa sollicitationem valde esse necessariam, quam amice peto, ut tua humanitas una cum domino Hieronimo Perenot, domino de Champagni, quoque literas credentie ad ejus celsitudinem dare velit, quo ejus celsitudo ex dicto m. Guilielmo, nostro communi secretario, nostras advocatorumque nostrorum deliberationes benigne audire, executionem deinde pro commodiore via promovere dignetur. Id haud parum causam nostram promoturum esse spero. Oras Augustanas attingent dictus m. Guilielmus et Gerlacus superis volentibus ad 9 aut 10 diem septembris. Velim igitur vestras literas per postam, quanto citius fieri posset, Augustam perferri, quo ipsi eas adventu ipsorum aut statim post illic in aedibus Hieronii²⁾, quas ego in conventu imperiali inhabitabam, reperire queant. Ad diem rationibus rerum tuarum audiendis constitutam reverendissimus dominus archiepiscopus Coloniensis suo et meo nomine quosdam deputatos mittet, quos ut vobis usui esse possent, percuperem, ut quam maxime bene valeas cum domina conjuge, quam ex me et tua matre salutari percupio.